34592/P

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA PLETHORICA.

82442

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA PLETHORICA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES McCARTNEY,

SCOTUS,

S. S. M. R. E.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

GEORGIO MAXWELL,

ARMIGERO,

DE MUNSHES,

IN GALLOVIDIA,

Tum ob incoctum generoſo pectus honeſto,

Tum ob beneficia vere paterna,

Sibi

Judicio, conſiderate conſtanterque

Delata,

Hocce tentamen inaugurale,

Summae quidem obſervantiae,

Gratique animi

Teſtimonium,

Lubens offert

JOANNES M'CARTNEY.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30384886

Captn Hamilton Esqr.
wt most respectful compts from
his most obedt hble Servt.
Jno. M'Cartney

"Of Apoplexies, thoſe light troops of Death,
"That uſe no ceremony with our Breath."

P. PINDAR.

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE APOPLEXIA PLETHORICA.

PROŒMIUM.

MORBORUM, quibus mortales ubique patent, vix ulli videntur aeque triſtes, ac iſti, qui cum ſubito atque improviſo occupant, tum ſemper fere tollunt. Hujuſmodi autem ſunt omnes, oppreſſi quibus homines ab auctoribus attoniti dicuntur. Enimvero nulli magis animadverſionem diligentiamque medicorum deſiderant; nulli porro aptius lauream Apollineae artis ambienti argumentum dant ad ſcribendum. Quapropter, Academiae ſcilicet inſtitutis mori-

 geranti,

geranti, pauca de illo Neuroſium genere, minus proprie apoplexia appellata, diſſerere viſum eſt. Cunctas quidem, idiopathicas, quas vocant, ſpecies tractare in animo non eſt; eas ſolummodo, quae, internis cauſis ortae, nihil aut non fere multum natura et ratione curationis inter ſe diſtant, attingere lubet. Hae autem, ab auctoribus ſanguinea et ſeroſa appellatae, apoplexia plethorica nominentur.

DEFI-

DEFINITIO,

Quae omnium praecipue arridet, haec eſt: "Morbus, quo omnes externi atque interni ſenſus, necnon omnes voluntarii motus quadamtenus intercidunt, reſpiratione interea atque cordis actione ſuperſtitibus."

HISTORIA.

Infantes raro admodum aut robuſtos annis invadit; plerumque autem fit ab anno quinquageſimo ad ſeptuageſimum. Sexus utriuſque communis. Haemorrhagias, velut epiſtaxin, &c. ſaepius certo circuitu redeuntes, repente vero demum repreſſas, frequentem ſanguinis detractionem intermiſſam, haemorrhoidas in viris ſuppreſſas, necnon menſtrua muliebria ſua ſponte deſinentia, nonnunquam excipit. In homines maxime

maxime ingruit, quibus magna ſunt capita, brevia colla, habitus plenior, corpora inexercitata, quique in acerrima atque attentiſſima cogitatione ſunt verſati, cibo copioſo atque immodicis liquorum fortiorum potionibus aſſueti. Certis autem anni temporibus ſaepius incidit, ut ſub vernum atque autumnale aequinoctium, ubi viciſſitudines tempeſtatum ex frigore in calorem ac retro fiunt frequentiſſime. Hinc Lommius aliique autumant, hoc malum, quaſi epidemicum, nonnunquam graſſari.

Horae momento ſaepe corripit; homo illico concidit, cogitatione, ſenſu, motuque voluntario omnino privatus; verum interdum tamen quibuſdam a ſignis denuntiatur; facies enim rubet et tumeſcit, calore nimirum aucto; oculi diſtenduntur, prominent, fluitque rivus lachrymarum; capitis dolores plus minus acuti durantesque, una cum ſenſu ponderis circum os frontis ſeu occipitis adſunt; crebrae vertigines; capitis vaſa manifeſto turgeſcunt; unde ſanguis e naribus profluit, tinnituſque aurium ſeu ſuſurrus inſequitur. Non ſolum univerſa compages ſtupore quodam afficitur, ſed etiam ſinguli ſenſus, tam externi, quam interni, admodum labefactantur. Memoria amputatur, menſque nunc ad brevius,

nunc

nunc ad longius tempus labat; viſus atque auditio clara ceſſant; haeſitat lingua, vox faucibus haeret. Aliqua quaſi puncta ſentiuntur, frigus et ſtupor urgent prominentia membra, laſſitudo et torpor tenent eas praeſertim partes, quae protinus majore malo mactandae ſunt; ſomnus in promptu eſt, atque idem per ſomnia tumultuoſus; incubo denique ac ſtridor dentium, ut aſſidui comites, memorantur.

Plurima vero alia ab aliis auctoribus indicia inſtantis mali notantur. Aliqui membrorum tremori labiorumque, alii ſalivae abundantius fluenti, atque angori circa praecordia ſatis credunt; ab Hoffmanno autem et Bellino frigus ſtuporque eminentium partium clariora judicantur praeſagia. Iſta quidem ſaepe aliquamdiu ante acceſſionem magis aut minus violenta identidem redeunt; verum hac utique inſtante, eadem mirum in modum augentur. Capitis dolor cum delirio ac vertigine fiunt graviora; praeter oculos nictantia fulgura flammae tranſcurrunt, pulſuſque arteriarum eſt durus ac validus; miſer, quippe cui jam praepediuntur crura vacillanti, confeſtim quaſi fulmine ictus, terrae proſternitur. Ægri nunc facies tumida, livida, ſubrubra, nonnunquam pallida conſpicitur. Senſus,

ſus, ad voluntatem pertinentes, ex toto intercidunt, et quamvis interdum hoc fit in toto corpore, interdum tamen alterum latus nervorum reſolutione, alterum diſtentione afficitur; alias ſenſus adeo motuſque auferuntur, ut humana compages haud improprie muſculo, cujus irritabilitas opio ſoluto fuerit ſublata, comparari poſſit. Naturales quoque corporis actiones admodum impediuntur; ſpiritus difficulter movetur, idque longis, ut in ſomno, intervallis; ronchi ſimul ſunt, quos Sauvageſius aliique indicem verae apoplexiae exiſtimant; Cullenus vero expertus eoſdem apoplexiae quam acerrimae interdum abeſſe teſtatur. Tota nunc hominis fabrica relaxari videtur; aeger devorare ſalivam ſuam nequit, vomere frequenter tentat, ex ore ſemiaperto, huc nempe illucve diſtorto, ſpumae moventur; oculi videntur vitrei; excrementa rejiciuntur continenturve ſine voluntate; cor jam palpitat citius, languidius, ac remiſſius; reſpiratio eſt difficilior inaequaliorque; ſudores denique frigidi ac diſtentiones nervorum accedunt, itaque de homine actum eſt.

Talis ſignorum ordo in monumentis medicorum proponitur. Æger quidem raro convaleſcit; ſaepius mors aut reſolutio alterius lateris infe-

inſequitur; ſiquando unquam melius res evenerit, ſanitas utique perquam lente reſtituitur; ſopor abit, ſenſus motuſque redeunt, verum tamen non parum ſaepe diutina ſenſus privatio inducitur, vel reſolutio nervorum cujuſlibet partis, quae permanet uſque, donec aeger altera tertiave acceſſione diſſolutus fuerit.

QUAE

QUAE IN CORPORIBUS MORTUORUM INCISIS SUNT DEPREHENSA.

Bonetus certe, Morgagnus, aliique de medicis bene ſunt meriti, utpote qui vitiis, deprehenſis ſcilicet ferro, enarratis, inque ſuos locos diſtributis, materiam melius ſaltem conjiciendi de vera morbi natura praebuerunt. Dicendum autem eſt, idque magno cum aliquo deſiderio, eoſdem illos auctores haud parum in hac re deliquiſſe, quippe qui, morbida ſignis quibuſdam indicata referentes, iſta morborum praeterierunt, ubi, cadaveribus inciſis, interiora vitiis vacabant, quanquam ſigna horum eadem profecto ipſa extra affuerant.

Ex corporibus apoplexia mortuorum inciſis ſatis conſtat, cerebri vaſa frequenter dirumpi. Cruor, ſerum, idemque cum cruore mixtum, vel pus ipſum plus minus nonnunquam inter calvariam Duramque Matrem, interdum inter hanc Piamque, ac ſaepe inter hanc et cerebrum effuſum occurrit. Cruor quoque in cerebri ventriculis,

triculis, circa hujus baſin, cerebellum ac medullam oblongatam repertus fuit. Alias vaſa ſanguinem vehentia, in tota cerebri exteriore parte ejuſque membranis, plena nimis ac turgida extiterunt; immo etiam Bonetus aliique teſtantur, ea interdum adeo diſtendi, ut varicoſa eſſe videantur. Serum porro incluſum in veſiculis fuit deprehenſum. Aër denique, generatus procul dubio incipiente putredine, ab aliquot inventus eſt in cerebri vaſis. Innumera alia praeterea in libris anatomicorum viſa referuntur, quae ſua propria vi, ut illis placet, materiam cerebri neceſſario nimis comprimant. Talia autem non ſunt hujus loci, ſeu apoplexia inde nata alia ac noſtra videtur.

Enimvero nunc demum profitendum eſt, ſaepe nihil omnino praeter naturam, apoplexia quam veriſſima antegreſſa, in cadaveribus apparuiſſe; alias autem, ubi nimirum morbus exortus fuerit ac natus ex venenis, ut aëre fixo, lignei carbonis, aut plumbi vaporibus, et vaſorum diſtentio, et effuſio cujuſdam humoris manifeſta fuerunt.

Hic igitur jure conquerendum eſt, quod medici vel conſultiſſimi plerumque tantum vitiis, poſt mortem ferro detectis, tribuerint, ut iiſdem

tanquam principiis undique exploratis, ſua quiſque opinionum commenta confirmare et comprobare vellent; unde curatio inauſpicata, inutilis, pernicioſa, adhibeatur neceſſe eſt. Omnino omnium horum una eſt cautio, ut ne effectum pro cauſa amplectamur; plus vice ſimplici apoplexiam abſque effuſione, ſaepiuſque effuſionem abſque apoplexia, offendimus.

CAU-

CAUSÆ REMOTÆ.

Has quidem pathologi diſpertiunt in praediſponentes atque excitantes; ſed minus proprie; namque illae, diu nimirum ſubſtantes, morbum excitare valent, haeque, ſaepe recurrentes, ad aegrotandum proclivitatem nunquam non alunt. Itaque ergo, quod aliis mali occaſio eſt, idem alios ad morbum concipiendum aptos, nata occaſione, reddit. Verumtamen cauſas utriuſque generis, ut moris eſt, in praeſentia proponere lubet.

Plurima ſane homines ad apoplexiam procliviores praeſtant. In primis autem omnium memoratur

A Conformatio quaedam corporis, apoplectica etiam dicta, id eſt,

a Caput magnum,

b Collum breve,

c Vaſorum cerebri imbecillitas;

B Ætas ſenilis;

C Venoſa plethora;

D Cibus plenior;

E Fre-

E Frequens ebrietas;
F Corpulentia;
G Suppreſſa profluvia,
a Haemorrhoidum,
b Menſium et lochiôn,
c Epiſtaxis,
d Sanguinis ex inciſa vena,
e Fonticulorum et ulcerum;
H Inquieta cogitatio; cura atque animi anxietas.

Jam vero omnes medici caput magnum collumque breve hac appellatione notarunt; ſed parum conſentiunt in eorumdem viribus explicandis. De priore alii aliter diſſeruerunt. Caeterum ratio ex ipſo corporis incremento allata maxime omnium probabilis videtur. Ut ſingulae quidem partes corporis explicentur, ſua cujuſque vaſa oppleri neceſſe putatur. Quaelibet autem pars praeter naturam adaucta ſingularem in ſe ſanguinis impetum declarat. Intellectu itaque facile eſt, quomodo magnum caput, utpote ex nimio ſanguinis appulſu ortum, hominem huic malo obnoxium praeſtet.

Brevitas deinde colli, quae falſo a veteribus fieri putabatur, quod una ex ſeptem vertebris deſideraretur, incommoda ſanguini a capite rede-

unti

unti habita fuit. Quod quidem adeo a ratione abhorret, ut contrarium ejus affirmare liceat. Enimvero quo brevius collum, eo minor eſt diſtantia inter cor baſinque cerebri; quoque minor haec diſtantia, eo majore vi ſanguis per cerebri vaſa pellitur; unde diſtentio ibidem, congeſtioque. Praeterea, quo brevius collum, eo certe impedientia reditum ſanguinis per juguli venas magis uſque impedient, id quod obſervatio quotidiana probat.

Denique, vaſorum cerebri imbecillitas, auctore Hoffmanno, huc accedit; quippe quia ſic ipſe dixit, "Nec abundantia, nec appulſus ſanguinis ad excludendum hoc malum ſufficiunt; at, ubi vaſorum cerebri imbecillitas adeſt, membranae ſanguinem appulſum minus vegete protrudunt, vaſa eidem cedunt, lentus fit circuitus, ſtagnatio, farctus, tandemque ruptura." Cui adſtipulantur Hoeferus, Foreſtus, et Sennertus; quique etiam hoc malum, utpote homines certae cujuſdam ſtirpis infeſtans ſaepius jugulanſque, inter haereditaria numerarunt. Caeterum vaſorum cerebri imbecillitas, frequentius licet congenita, aliunde accidere poteſt; ideoque ſenes apoplexiae opportuniores.

Deinde

Deinde ſenium ac venoſa plethora ſimul attingenda, ſiquidem illud pro hujus cauſa habetur. Infantes raro admodum aut robuſtos annis hoc morbo corripi, ſupra poſitum; quamvis enim Hoffmannus paucos refert caſus, ubi tales eo ſunt interempti, in univerſum tamen aeſtimanti hoc ſtatuendum eſt, quod homines vix unquam ante quadrageſimum annum tentantur; quo autem diutius poſtea vivitur, eo plus periculi.

Jam vero experimentis D. Wintringham cognitum eſt, rationem arteriarum venarumque animalium variari pro variis aetatibus. A prima natali die protinus ad ſummum aetatis florem, hae firmiores ſunt ac denſiores, illae contra tenuiores laxioreſque. Arteriis igitur juniorum, quam ſeniorum, plus ſanguinis pro rata parte continetur, id eſt, arterioſa plethora exiſtit. Progrediente autem aetate, earum tunicae majorem pro portione, quam venae, preſſum patiuntur, ideoque fiunt denſiores; unde illae neceſſario minus capere poſſunt, hiſque ſua vice plus ſanguinis ineſt. Sic profecto arterioſa plethora minutatim dilabitur, et ſi forte ipſum corpus plenius poſtea evadat, venae magis repleantur neceſſe eſt.

Culle-

Cullenus quidem noſter, his experimentis motus, ſuo more, id eſt, ingenioſiſſime, haemorrhagias tractavit, docuitque quomodo aliae aliaeque aetates earum varietatibus maxime pateant. Rationem quoque afferre conatus eſt, quamobrem ſenes frequentius apoplexia tententur. Ex vaſis nempe cerebri perſpectis natura comparatum eſſe videtur, ut certa quaedam ſanguinis copia accumularetur in capite. Quodcunque igitur forte ſua hanc copiam adauget, libero ſcilicet ſanguinis a capite reditu imminuto, id non paulum periculi faceſſit, provectis utique aetate, quibus totum corpus, ac praecipue omnium venoſa vaſa cerebri pleniora exiſtunt.

Doctrina haecce, dictu quidem ſpecioſiſſima, mihi non pro eo, ac ſi ſit omnibus numeris abſoluta, arridet. In promptu intelligere non eſt quomodo haemorrhagia ex ſanguine per venas refuſo, ſeu circuitu a trunco ad ramos inverſo, oriri queat.

Aliter autem, ac, me ſaltem judice, multo probabilius de haemorrhagia ex venis plenioribus nata idem ipſe diſſeruit: "If the blood," ſays he, "be accumulated in the veins, from any interruption of its proper courſe, that accumulation muſt reſiſt the free paſſage of the blood

from

from the arteries into the veins; this again muſt produce ſome congeſtion in the extremities of the red arteries, and therefore ſome increaſed action in them, which muſt be determined with more than uſual force, both upon the extremities of the arteries, and upon the exhalants proceeding from them; and this force may occaſion an effuſion of blood, either by anaſtomoſis or rupture."

Conſtat itaque, periculum in hujuſmodi caſu, haud ex congeſtione in venis, ſed ex iſta ipſa, pro eo, quod liberum ſanguinis ex arteriis in venas tranſitum diminuit.

Jam vero a prima ad mediam aetatem, ut eadem diſciplina perhibet, eadem illa arteriarum conditio, quae in ſenectute quam peſſima effecta dare putatur, ſubſtat valetque; ſiquidem venae tunc ſunt firmiores ac denſiores, arteriae tenuiores, laxiores, plenioreſque. Nunc roget quis, Cur non eadem fiunt in juventute ex arteriis propter denſiores venas plenioribus, quae in ſenectute ex iiſdem plenioribus propter congeſtionem in venis adeo metuenda ſunt? Cur in monumentis medicorum pauci, atque admodum pauci hujuſmodi leguntur caſus, qui in primam mediamve aetatem inciderint, cum in confeſſo

eſt,

eſt, tales cauſas excitantes ſemper iſta per tempora, eaſque fortiores exiſtere?

Profitendum eſt igitur, apoplexiam, frequentius ſenectuti infeſtam, haud ex venis tantummodo plenioribus oriri. Quaedam alia proclivitati ſecunda, eique aetati propria, adeſſe neceſſe eſt. Cujus quidem generis ſunt mutationes, quas ſolidum vivum patitur, ceu vigor, ſenſus, atque irritabilitas diminuta; unde corpus magis pateat congeſtionibus ſanguinis, quae per cauſas excitantes efficiantur, eaſdemque ſuſtinere aut ſuperare minus valeat.

Corpulentia ſeu obeſitas, nata pleniore victu operaque ſedentaria, aut vaſa, ubi ipſe adeſt, ſanguinem vehentia comprimit, id quod languidior arteriarum pulſus et difficultas ſanguinem e venis perquam obeſorum mittendi indicant, aut, ut Cullenus autumat, tranſitum ſanguinis per pulmones remoratur. Hominibus quoniam hujuſmodi vaſa ſanguinem vehentia ſunt exigua, et quaſi adipe oppreſſa, quivis profecto circuitus incitatior ſolito ſanguinem ad partes, quae preſſu adipis vacant, ceu caput et pulmones, impellet. Hinc Hippocratis placitum ad apoplexiam ſpectans; " Qui natura valde ſunt craſſi, magis

 ſubito

ſubito moriuntur, quam graciles." Quod quidem plus duo annorum millia invaluit.

Modum, quo ebrioſitas, cujus quidem effectus plus nimio cogniti, protinus huc tendat, deſcribere nihil opus eſt. In praeſentia illud ſat erit dicere, quod facies rubicunda, atque obſita carbunculis, oculorum inflammatio diuturna, naſi immanis magnitudo, haec omnia, amantium Bacchi inſignia, ſanguinem ad caput verſum peculiariter adactum clare demonſtrant. Nemo denique neſcit, vires vaſorum totius capitis crebriore hujuſmodi adactu, ſerius aut citius, diminui, vel omnino poſſe auferri.

Ad ſuppreſſa profluvia, quae ſupra memorantur, ſudores, exanthemata, &c. coërcita accedere poſſunt. Hoffmannus ex medicorum libris ſelegit caſus, ubi apoplexia hiſce ſingulis cauſis oriri videatur. Ad cujus volumen ſtudioſis ejus rei relegatis, hic unum duntaxat exemplum, mihimet oblatum, proponere liceat. Mulier, quinque et quadraginta annos nata, apoplecticae formae, et plenioris corporis, in ſuperiore vita epiſtaxi frequentiſſime afficiebatur. Qua demum ceſſante, anno fere quadrageſimo menſium abundantia excepit. Ea ipſa plus minus, ſuo praeſertim tempore, aliquot per annos, fiebat.

Viribus

Viribus adeo muliere decedentibus, profluvium hocce, vaſis plane uteri remiſſioribus genitum, cortice Peruviano et chalybe aliquamdiu adhibitis repreſſum fuit. Paucas autem poſt hebdomadas apoplexia ingruit, citiuſque jugulavit. Inter medicos ſatis convenit, profuſionem per partem quamvis, jam inveteratam, haud impune mutari, nedum, altera niſi ſubſtituta, inhiberi poſſe. Quod quidem liquido diſcitur ab haemorrhagiis, vicarias quas vocant, haematemeſi ſcilicet ac haematuria. Hae certe haemorrhoidibus menſibuſque ſuppreſſis oriuntur, iiſdemque vicibus alternis ſuccedere videntur. In ejuſmodi caſibus facile intelligitur, quomodo ſanguis ita in caput adigi poſſit, ut apoplexia mortifera inſequatur.

Poſtremo, de inquieta cogitatione, cura atque animi anxietate melius eſt, quippe cum Cullenus ipſe ſileat, pauca dicere. Vires fortaſſe vaſorum cerebri imminuunt, ex quo tardior circuitus congeſtioque fiant. Morgagnus meminit docti viri Bononienſis, cui, ſiquando mane in lecto animum in paulo abſtruſiora intendiſſet, levis epiſtaxis, poſtquam ſurrexerit, nunquam non accidit. Quod profecto ſanguinem ad caput adactum ibique congeſtum ſignificare videtur.

C A U-

CAUSÆ EXCITANTES.

Antequam cauſae, quae apoplexiam excitant, indicantur, haud ab re erit pauca de ſingulari vaſorum cerebri forma, necnon ſanguinis in iiſdem circuitu repetere. Hinc, ut videtur, modus, quo iſtae valeant, clarius apparebit.

D. Monro, anatomicae decus, dictatum anatomicorum priorum, quod oſcitantes hallucinati ſunt, quam ingentem nempe ſanguinis partem per cerebrum circumagi, correxit atque emendavit. Ipſe enim, arteriis caput adeuntibus cum Subclaviana, quae ibidem ab aorta oritur, collatis, comperit plus ſanguinis vehi illis, quam hac, ſeu ter amplius per cerebrum, quam brachiorum alterum circumire, idque, quamvis hoc profecto illud pondere ſuperat. Idem deinde computat, cerebrum pondus habere medium inter triceſimam et quadrageſimam totius corporis partem; unde colligit, decimam ſanguinis per cerebrum circumagi.

Quod

Quod ſi capitis arterias cum iis, quae renes, hepar, lienem, aut pancreas adeunt, comparemus, tum vero affirmare licebit, haud ita multo plus ſanguinis per cerebrum, quam viſcera quaedam circumire.

Natura quidem providit praecavitque, ne qua iter impediretur. Duae enim carotides nunc uno, nunc duobus in locis ſibi invicem priores per ramos inſeruntur, vertebralibuſque arteriis etiam junctae poſteriorem orbis Williſii partem conſtituunt. Quod cum ita ſit, circuitus per minimas cerebri partes manebit, ſi qui truncorum preſſu vel tumore obſtructi fuerint. Idem porro experimento deprehenditur. Animal enim, quanquam carotides conſtringantur, nec moritur, nec ita valde dolere videtur. Deinde, ut mala forte quadam ex ſanguine ad cerebrum impulſo oritura arceantur, hic, gravitate ſua renitente, cogitur aſcendere in caput, quod quidem ſatis a corde diſtat, atque arteriae ipſae, et ante et poſt introitum in caput, flexus bene multos habent.

Quamvis autem, vaſis ita conformatis, impetus ſanguinis commode minuatur, atque ab obſtructione praecaveatur, tamen, ut cerebrum ſuis propriis muneribus par ſit, vaſa ejus quadam tenus

tenus et intenſa et plena eſſe neceſſe eſt. Quod quidem facile apparet ex vena alicui ſtanti vel ſedenti inciſa; homo enim ſaepe interea animo linquitur, decumbendo autem animus cito redit, quippe ita ſanguis liberiore curſu ad caput verſus feratur.

Porro autem ex modo, quo ſanguis a capite redit, colligitur, naturam motum ejus in cerebri vaſis retardari velle. Venae haud ſimiliter in capite, atque reliquo corpore, diſponuntur. Nullas habent valvas, neque cum arteriis ſimul procurrunt, truncique ab aliis forma differunt. Pleraeque ſurſum a cerebri medio proferuntur ad longitudinalem ſinum, quem oblique et modo curſui ſanguinis contrario penetrant. Talis quidem fabrica valvulae loco eſt, prohibetque, quo minus quid e ſinu refundatur.

Hinc intelligi poteſt, cur medici cauſas, quae apoplexiam excitent, in duo genera diviſerunt. Unum quaecunque augeant copiam impetumque ſanguinis in capitis arteriis comprehendit; alterum vero quaecunque prohibeant vel retardent reditum ejus in venis vecti ex hujus vaſis. Quorum amborum generum una ratio eſt; pariter enim valent ad nimiam vaſorum diſtentionem,

tionem, aut effuſionem ſanguinis ſerive praeſtandam.

Prioris generis ſunt vehemens exercitatio, animi perturbationes, calor externus, deſcendens denique aorta, preſſa ſcilicet gravitate.

Vehemens ſane exercitatio apoplexiam ſaepe, proclivitate etiam abſente, eodem modo, quo haemorrhagias, poſſe afferre videtur. Quanto autem periculoſior ſit plenioribus, quippe quae iis ſemper reſpirationem quam incitatiſſimam faceſſit, in promptu eſt.

Ira deinde, nimia laetitia, venuſque huc referuntur. Dubitari quidem poteſt, an haec unquam apoplexiam ex compreſſione genitam excitent, quia ſaepe actutum prius interimunt, quam ulla congeſtio in cerebri vaſis extiterit; eadem vero diuturna, vel frequentius repetita poſſunt, circuitu nimirum per totum corpus incitato, ſanguinem ad caput adigere, id quod facies multo rubore ſuffuſa ex ira fervente declarat.

Nihil porro magis externo calore afficit caput, impetumque circuitus auget; hic utique ipſe multo periculoſior, ſi homo ſimul vehementer exerceatur.

Denique

Denique deſcendens aorta poteſt premi vel a tumore in qualibet abdominis parte, vel foetu, vel oppleto ſtomacho. D. Cullenus, in ſuis praelectionibus, inſignem narrat caſum, ubi homo, cui ſteatoma erat in abdomine, poterat ad ſua ipſi libita, inclinato ſcilicet corpore, apoplexiam quodammodo arceſſere. Tumores quidem ejuſmodi et foetus pariter huc valent; namque aortam prementia ſanguinem impediunt, quo minus ad inferiores partes feratur; unde ſurſum imprimis ad caput adigitur. Oppletus autem ſtomachus, aorta nempe aut diaphragmate preſſo, reſpirationem male habet, et ſanguinem plus aequo in vena cava ſuperiore congerit, vel denique, quod vero propius videtur, ſanguinis circuitum pro tempore, febriculae in modum, ex ingeſtis ſtimulantibus incitatiorem reddit.

Nunc deinceps cauſae, quibus ſanguinis in venis vecti reditus a capite prohibetur, aut retardatur, ſunt inclinatio capitis; arctior juguli vinctura; venarum ſanguinem a capite vehentium obſtructio, in primis venae cavae aſcendentis; quodcunque liberum ſanguinis tranſitum a venis ad dextrum cordis ventriculum, vel denique tranſmiſſionem ejus per pulmones, imminuit.

Incli-

Inclinatio quidem capitis ſimul et ſanguinem ad caput invitat, aucta nempe illius gravitate in arteriis, ſimul et reditionem moratur, eadem in venis minuta.

Arctiore deinde juguli vinctura venae ejus comprimuntur, ſinus ſervantur pleni, cerebri venae diſtenduntur, unde cumulus et ſanguinis congeſtus neceſſario inſequitur. Flexio itidem capitis aliquoverſum, ubi collum eſt breve, eodem valet; namque hinc juguli venae, diſtortae quodammodo, adeo coarctantur, ut ſuo ſanguini pro rata portione ad cor revehendo impares exſiſtant.

Strumae quoque et alii id genus tumores idem faciunt. Suietenius caſum memorat, ubi vena cava ſuperior, in quam ſanguis ex juguli venis transfunditur, per tumores nimirum in thoracis cavo compreſſa, acceſſum apoplexiae cito jugulantis maturavit.

Hujuſmodi porro ſunt ipſius cordis affectus, velut polypi in dextro ventriculo aut vena cava, valvulae in oſſeam duritiem degenerantes, &c.

Accedit denique, quodcunque liberum ſanguinis tranſitum per pulmones imminuit. Hoc autem ipſum, quippe quod ſanguinis venis vecti

reditum a capitis vaſis moretur, apoplexiam excitare poſſe in promptu eſt.

D. Hallerus, calvaria in vivorum capitibus remota, animadvertit cerebrum inter reſpirationem nonnihil conſurgere, interque aſpirationem ſubſidere. Quod quidem aëris alterno meatui reſpondere, ab illo deprehenſum eſt, idque ex ſanguine venis vecto refuſo oriri exiſtimavit: "Effectus, inquit ille, expirationis ſunt, comprimere vaſa ſanguinea pulmonis, angulos bronchiorum acutiores reddere, &c. Siſtet ergo expiratio ſanguinis facilius ad pulmonem iter, et cum una totum pectus comprimatur, ſanguinem venoſam in venas capitis repellit, cerebrumque et ejus ſinus implet."

Hinc certe ſequi videtur, ſanguinem unaquaque reſpiratione aliquatenus impediri, quo minus libere per pulmones tranſeat, ideoque motum ejus a capitis venis in dextrum cordis ventriculum ſimul imminui.

Repudiare quidem hanc ſententiam, exquiſitam ſane, atque etiam Culleno probatam, fortaſſe petulantis audaciae eſſe videatur. Verum enimvero non tam auctoritatis in diſputando, quam rationis momenta quaerenda ſunt. Res ipſa, ſi ratiocinatione ſola utendum eſſet, tota, ni fallor,

ſallor, commenticia evadet. Cum vero in ejuſmodi cogitationibus in utramque partem diſſeri poteſt, in praeſentia multo ſatius erit experimenta referre, quibus, me ſaltem judice, hocce opinionis commentum funditus deleatur.

D. Goodwyn, dudum apud nos ingenio ſuo atque accuratione adeo notus, ut nullo egeat praeconio, hoc experimentis, rite factis, deprehendit, quod pulmones poſt reſpirationem multo magis dilatantur, quam olim medici putabant, iique aëris cubicas plerumque uncias ducentas ſexaginta duas capiunt. Idem deinde per organum, quod ipſe Pneumaticum vocat, evidenter comperit maximam aëris copiam una aſpiratione hauſtam (ſi ratio pro aëre mutata ex temperie rareſcente fiat) haud ſuperare ſex uncias cubicas, quae prioribus additae faciunt ducentas ſexaginta octo; ideoque rationem inter ſpiritum mediocriter tractum emiſſumque eſſe, ut 268 ad 262, ſeu priorem haud alterum excedere parte quadrageſima quarta. Hinc igitur, id eſt, ex pulmonibus pariter fere et aſpiratione et reſpiratione dilatatis, neceſſario cogitur, numerum ſanguinis per iſtos tranſeuntis, eſſe ſemper eundem; unde, ut videtur, hoc amplius ſtatuere licebit,

quod

quod ei admodum paululum, aut nihil omnino morae hac illave, mediocribus ſcilicet, faceſſitur.

Verum enimvero res ex unaquaque aſpiratione, valida nempe et diu continuata, aliter ſe habet. Vaſa certe faciei, capitis, colliqúe, rubra inde ac turgida, ſanguinem bene multum in vaſis cerebri congeſtum declarant. Hoc itaque modo ratio affertur, quamobrem apoplexia quolibet vehementiore niſu, muſculorum intentione, ceu ſternutamento, tuſſi, &c. excitari poſſit.

CAUSA PROXIMA.

Jam vero, quo fuſius cauſae remotae tractatae ſunt, eo brevius de proxima dicendum erit. Illarum fere pleraſque cumulum ſanguinis congeſtumve in capitis vaſis excitare modo vidimus. Quod cum ita ſit, D. Culleno omnino prorſus aſſentiendum eſt, qui has apoplexiae ſpecies, de quibus agitur, imputat, ceu cauſae proximae, ſanguini in capite accumulato; quippe quum is ipſe nervorum originem comprimat, atque adeo vim eorum e cerebro ad muſculos voluntarii motus, aut, quatenus ſenſus afficitur, eandem ab extremis ſentientibus ad cerebrum commeare prohibeat. Haecce denique compreſſio, ut videtur, ex ſanguine accumulato, ſeu vaſis cerebri nimium diſtentis, ſeu ſanguine ſerove effuſo progigni poteſt.

DIAG-

DIAGNOSIS.

Haud multum ſane periculi eſt, ne non apoplexia caeteris fere omnibus dignoſci queat.

Definitio quidem ipſa eam ab epilepſia, paralyſi, ac ſyncope, ſatis bene diſtinguit. In prima enim "muſculorum plerorumque voluntarii motus eſt convulſio, ſenſus intercidit, cum ſopore." Accedere quoque poteſt, quod facies ſemper fere diſtorquetur, atque ex ore ſpumae moventur. In altera "motus voluntarii ceſſant, nonnullae tantum partes corporis afficiuntur." In tertia denique "actio cordis ac reſpiratio fiunt non paulo debiliora ſolito, vel aliquamdiu quieſcunt." Reſpiratio quidem, cordis actio atque arteriarum queſcit in quibuſdam apoplexiae formis, *venenata* nempe, *mentali*, et *ſuffocata*, a D. Culleno ſua in Noſologia memoratis; verum hae non ſunt hujus loci.

Apoplexiam deinde a morbis, *caro*, *cataphora*, *comate*, et *lethargo*, vocatis diſtinguere, nihil omnino nec ad pathologiam nec ad praxin pertinet;

quippe

quippe qui gradu tantummodo variant. Reſpiratio etiam, ſtertoroſam quam vocant, a Noſologis aliquot diſcriminis ergo memorata, nihili eſt, quia hanc verae ac violentiſſimae apoplexiae interdum abeſſe experientia teſtatur. D. Cullenus, ſua in definitione, dixit, "ſenſus motumque quadam tenus duntaxat intercidere;" jure igitur has variationes uno ſub genere complexus eſt.

Caeterum longe difficilius eſt apoplexiam, plenitudine ortam, ab eadem vel hydropica diatheſi, vel aqua in ſanguine ſuperante genita, in quam iſchuria renalis frequenter deſinit, dijudicare et diſtinguere. Hujuſmodi in caſu aetate, habitu, et corporis conformatione, ordine atque incremento ſignorum, modo acceſſus, cauſis denique excitantibus, omnibus ſingulis vere aeſtimatis, dignoſcendum eſt.

PROG.

PROGNOSIS.

Apoplexia certe nunquam non eſt formidoloſa; imo etiam, quacunque oriatur cauſa, qualemcunque ſpeciem referat, periculoſiſſima; raro vel natura vel arte vincitur; mortem frequentius infert, aut hemiplegiam; ſi forte quadam expulſa, tamen ſemper fere recurrit, quoque saepius, eo deinceps periculoſior: Eo eadem pejor, quo ſenior aeger pleniorque; ſanguinea terribilior quam ſeroſa; prior ſaepiſſime tertium ante diem occidit; quo magis ſenſus motuſque voluntarius intercidunt, eo minus ſpei ſupereſt; a quibuſdam index violentioris acceſſus putatur reſpiratio ſtertoroſa, qua autem abſente nihil lenius denotatur; facultas devorandi adempta, cordis palpitatio, pulſus arteriarum inaequalis; ſtercus atque urina reddita ſine voluntate; frigidi denique ſudores inſtare nigram denuntiant horam.

PRO-

PROPHYLAXIS.

Medici officium dicitur morbos et arcere et diſcutere. Neceſſe vero eſt, fabrica nimirum atque actionibus corporis humani nondum ſatis explorate perceptis, cauſas morborum proximas ſaepe latere, ideoque medendi rationes ſaepe ancipites fore periculoſaſque. Cavere autem mala eſt facilius, utpote hoc cognitis cauſis remotis, quarum effectus notiores, praecipue nititur.

Enimvero ex natura apoplexiae animadverſa omnibus patebit, ei jam urgenti medicinam fere nihil aut admodum paululum auxiliari poſſe, ideoque diligentiſſime et curioſiſſime praeveniendum eſſe. Cui quidem conſilio cauſas excitantes evitare, quoad ejus fieri poteſt, ac proclivitatem, corpore ſcilicet pleniore, vaſis praeſertim cerebri, ortam minuere, tollere ſatis commode reſpondet.

Jam vero oſtendere, quomodo cauſae remotae vitantur, nihil ultra opus eſt; quippe cum ex iis ipſis ſupra propoſitis maxime intelligi poteſt.

Proclivitati deinde, quatenus certe ex plenitudine oriatur, exercitatio, victus parcus tenuiſ-

que, ineunte praeſertim aetate, quam potiſſime occurrunt. Cuilibet in univerſum aeſtimanti apparet, apoplexiam eos raro occupare, qui quotidie in quaerendo vix victum inveniunt, divites contra, qui ingluviei vacant, inceſſere: Nec mirum, nihil enim magis plenitudine, eaque ſimul cum ſedentaria vita, hocce malum invitat allicitque. Adoleſcentibus igitur, qui apoplexiae opportuniores ſint, imperandum eſt, ut multum ſub dio exerceantur. Ambulatio praecipue omnium convenit, namque exhalationem per cutem promovet, ſimulque robur et corpori et animo conciliat. Neque tamen illud ignorari oportet, eandem ipſam corpulentioribus malum faceſſere poſſe. His itaque cuncti labores corporis minuendi ſunt; geſtatione ſola utendum eſt, et equitatio, niſi vertiginem capitiſque dolorem excitat, maxime omnium proficit. Quid? quod hoc modo fortaſſe homines huic morbo ex corporis conformatione obnoxii fallere ac fugere queant.

Verum enimvero exercitatio tenuiſque victus adoleſcentibus tantummodo praecipienda ſunt; namque haec ipſa aetate provectis aeque, ut apoplexiae acceſſio, exitio forent. Habitus ante omnia et conſuetudo conſideranda ſunt; quodcunque enim contra ea eſt, nocet, ſeu molle, ſeu

ſeu durum eſt. Si plenioris ſit corporis, ciboque pleniori aſſuetus, a carnibus paulatim ad olera deduci expedit; illis certe in coena neutiquam veſcendum eſt; humores calefacientes ex toto circumcidendi; cane pejus et angui appropinquatio ebrietatis vitanda; alvus, ſi dura, molliatur; pulvis ſternutatorius quam modice hauriendus; alioqui enim fortaſſe ſedare, ac directo vires vaſorum cerebri abolere valeat; ſi quid autem periculi eſt, ne prius narium excrementum minueretur, fonticulus ſubſtituatur, qui vaſis inſuper cerebri plenioribus auxiliari poſſit.

Denique, Hoffmannus aliique ſanguinem vena inciſa detrahi monent, idque non ſolum inter acceſſionem, ſed ſaepe alias, utpote hoc contra plenitudinem, ejuſque aſſeclas, efficaciſſime polleat. Pollet utique ad breve quoddam tempus; verum, quod ſatis conſtat, reditum eorundem parit invitatque. Incidere igitur venam cautionis ergo minime convenit, nec omnino unquam, niſi homo turgidus aliterve affectus admodum periclitetur, ad hoc recurrendum eſt. Cucurbitulae, ſcarificatio, &c. tantum auxilii minore cum periculo promittunt.

Poſtremo, quicunque capitis affectibus magis pateant, debent quam cautiſſime vitare corporis

poſitus,

poſitus, quibus ſanguis facile ad caput aſcendit, deſcenditque non item. Quapropter hominibus, qui ad apoplexiam ſunt procliviores, niſi ſummum ejus diſcrimen adire velint, capite quam erecto dormiendum eſt.

RATIO MEDENDI.

Jam vero maximam conditionis corpori inhaerentis partem, qua illud aptum eſt, nata occaſione, ad apoplexiam ſuſcipiendam, neceſſario oriri ex mutationibus a natura vitae curriculo factis, ſupra propoſitum eſt; unde ratiocinio, nempe a cauſa ad effectum ordinato, hoc vitium eſſe inſanabile cogere licebit; neque etiam medicorum monumenta uſuſve refragantur. Medici quidem plerique omnes de trunca et debili medicina conquerantur, obliviſcentes pene, "Certa ſtare omnia lege, Singula per proprios ſignari tempora caſus;" morti nos noſtraque deberi; imo etiam vires eaſdem, quibus vivimus et vigemus, ſeipſas ocius tardiuſve eſſe confecturas. Ab exemplis itaque in confeſſum venit, remedium in hoc malum efficax nimis diu fruſtra deſideratum iri; quamvis enim aliquando victum fuerit, ſi mutatio in hemiplegiam pro victoria habeatur, minus etiam ibi ars vindicare ſibi, quam natura poteſt.

Protinus

Protinus autem a principiis homo erectus collocandus eſt, id quod ſanguinis a capite reditioni maxime favet, in conclavi aëra modice frigidum habente; induſium et focale laxanda.

Sanguis deinde in cerebro congeſtus minui debet, vena praeſertim, ut nobis videtur, inciſa. Sanguinem, inciſa vena, mitti, antea omnibus ex uſu comprobatum, nuper, annos fere abhinc decem, D. Fothergillius in dubium devocavit. Hic quidem ex variis propoſitis colligit, miſſionem ſanguinis plerumque nocere. Dolendum vero eſt, quod ille ipſe pro curatione a ſummis auctoribus celebrata, alteram multo magis ancipitem periculoſamque ſubſtituit. Praecipit enim magna pondera vitrioli albi ac tartari emetici, quae quidem aliquis modo non medicinae ignarus abſque argumento, ex communi quippe ſenſu judicans, improbare audeat. Verum in hoc tranſcurſu tam arctati operis fuſius de hac re differere neque opus, nec neceſſe eſt. In praeſentia abunde erit D. Cullenum, inſtar omnium appellare, qui ſanguinem, eumque largiſſime detrahendum eſſe contendit, praeſertim ſi plenitudinis ſigna praeceſſerint. Quomodo autem ſanguis optime trahatur, omnes inter auctores non convenit. Ex juguli venis emitti, contra latus

motu

motu amiſſo magis affectum facillimum ac praeſentiſſimum videtur. Tempora occipitiumve incidere et cucurbitulam accommodare ſemper fere expedit. Scire quidem debet, haec primo quoque tempore poſt acceſſum eſſe facienda, antequam vaſa, nimis dilatata, infirma jam et remiſſa extiterint.

Veſicatoriis, quippe cum ad internas inflammationes abdominis thoraciſque, necnon haemorrhagias mirifice atque inenarrabiliter faciant, utendum eſt. Capiti inprimis adhibita proſunt.

Denique, ſanguine detracto, alvum purgatione ſolicitantia, acreſque clyſteres praecepta ſunt, quia corpus exinaniant, materiamque ex capite evocent. Verum priora exiguo pondere ingeri convenit, ne vomitus concitetur; omnino forſitan parum adjuvant.

Poſtremo, de ſtimulantibus adverſus apoplexiam primariam, idiopathicam quam vocant, utendis medici adhuc certant. Noſtrum quidem non eſt componere litem, neque etiam ea argumentis ex noſtra de morbi natura opinione ductis improbare lubet. Hujuſmodi ratiocinatio ſaepe neceſſario falſa; longe enim aliud eſt rationem comminiſci, quamobrem medicamenta aliter aliterque valere dicantur, aliud oſtendere,

quod

quod haec eadem illi conveniunt diſtantve. Dixiſſe ſufficiet, ſtimulantia primo fuiſſe adhibita, quoniam apoplexia *ſeroſa* re ipſa a ſanguinea differre putabatur. Verum ambae, cauſis utique ſuis et natura animadverſa, ex plenitudine oriri videntur, eoque ſtatuendum eſt, iſta plerumque, morbi praeſertim inter initia, nocere.

Nunc enimvero animi parum grati notam merito ſubirem, niſi lubens, hocce tentamine qualicunque demum perorato, ſingularem A. Fyfe benevolentiam, qua mihi aliquot per annos, inquilino ſcilicet, fecit conſilii ſui copiam, publice collaudarem agnoſceremque. Cui quanquam gratia referri tanta non poteſt, quanta debetur; habenda tamen tanta eſt, quantam maximam animus meus capere poteſt.

F I N I S.